



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

1. Passus. Desiderium Perfectionis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



## I. SEMITÆ PURGATIVÆ

## I. PASSUS,

SEU

## GRESSUS.

Desiderium perfectionis.

TEXTUS S. SCRIPTURÆ.

*Estote perfecti, sicut Pater  
vester cælestis perfectus est.  
Matth. c. 5.*

*Cognitio Perfectionis.*

**P**erfectio, teste S. Ambrosio L.6.c.2.  
de Jacob, est, *Cui nihil deest*. Quan-  
do nimirum amor benevolentia, erga  
Deum & proximum, ad eum statum dedu-  
ctus est; ut inordinatâ passionum cupiditate  
edomitâ, atque exutis vitiis, expeditus ali-  
quis sit ad exercitium omnium virtutum.

*Consideratio Motivorum.*

Anima christiana, & in primis religiosa,  
ut toto conatu ad hanc perfectionem aspi-  
res,



res, omniâque media sedulo & constanter adhibeas: moveat te I. Dei O. M. voluntas: *Estate perfecti. Matth. 5. Et: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. Thess. 4. II. Hoc studium & conatum à te exigit creatio tua ad imaginem Dei: hoc postulat Filii DEI incarnatio, passio & mors; nec non fidei christianæ ac statûs tui professio, recta ratio, & denique præmii cælestis magnitudo. III. Hæc est vera sapientia, & scientia Sanctorum: Hæc est drachmailla evangelica, quæ felicitatem semper duraturam emimus: Hæc est margarita pretiosa, omnibus mundi gemmis & unionibus infinite præstantior: hic est thesaurus absconditus: *Thesaurus infinitus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei. Sap. c. 7.**

O quis igitur non summè desideret? Quis non omni conatu aspiret? Quis non omnia media pro viribus adhibeat; ut hanc sapientiam, hanc drachmam, hanc margaritam, hunc thesaurum incomparabilem obtineat?

*Petitio.*

Domine Deus meus, omnis perfectionis fons inexhauste; cum omnis scientiæ, sapientiæ, disciplinæ & virtutis principium sit, intimum ejus desiderium: *Initium enim illius est verissima disciplina concupiscentia. Sap. c. 6, 13. Tam ardens mihi infunde perfe-*  
*ctio-*



tionis desiderium, ut petere, quærere, pulsare non desinam, donec inveniam.

*Aspiraciones.*

I. *Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam; quoniam ipsi saturabuntur, Matth. c. 5. O si in horum beatorum numerum referri mererer!*

II. *Domine Deus meus, da cordi meo Te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare. S. August. Med c. 1.*

III. *Concede mihi, Domine, famem, sitimque iustitiæ; & perfectionis desiderium insatiabile!*

PASSUS II.

Fuga peccati lethalis.

TEXTUS.

*Tanquam à facie colubri fuge peccatum. Eccli. c. 21.*

*Cognitio.*

QUID est mortale peccatum, nisi actio libera, debitâ rectitudine carens, quâ quis